SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

GREGORII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XVI.

LITTERÆ APOSTOLICÆ

IN FORMA BREVIS

AD OMNES PATRIARCHAS, PRIMATES
ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS.

ROMÆ MDCCCXL.

Typis Reverendae Camerae Apostolicae

VENERABILIBUS FRATRIBUS

PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS UNIVERSIS GRATIAM, ET COMMUNIONEM SEDIS APOSTOLICÆ HABENTIBUS

GREGORIUS PP. XVI.

VENERABILES FRATRES

Salutem et Apostolicam Benedictionem

Augustissimam Beatissimi Apostoli Pauli Gentium Doctoris honori sacram Basilicam a Constantino Imperatore conditam, a Magno Theodosio amplificatam, ab Honorio Imperatore auctam, atque a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris summa contentione, et studio, maximisque sumptibus continenter instauratam, ac splendidiore cultu exornatam, subito incendio conflagrasse, nemo certe est tam rerum omnium ignarus, qui nesciat, nemo tam duro animo, qui miserabili illa ruina vel inspecta, vel audita non vehementer doluerit. Ad amplissimum illud templum reficiendum curas omnes, cogitationesque convertit pientissimus Pontifex rec. mem. Leo XII. Prædecessor Noster, qui flagrantissimo incensus desiderio vetustissimam illam reparandi molem, nullis neque impendiis, neque consiliis sibi parcendum duxit, ut catholicae religionis longe maximum monumentum in pristinam restitutum formam, majore, quo fieri posset, splendore iterum surgeret, atque fulgeret. Itaque tanto operi perficiendo ingentem pecuniæ vim a Pontificio Aerario, quamvis tot acceptis calamitatibus fere exhausto, quotannis dandam esse decrevit. Cum autem probe nosceret, tam præclarum facinus maximis quibusque indigere subsidiis, quæ Pontificii Aerarii angustiæ suppeditare minime poterant, divino fretus auxilio, non despondit animum, opusque suscepit, ac totius Christiani orbis provinciis encyclicam misit epistolam, qua Christifidelium animos vehementissime excitavit, inflammavit, ut omnes tanto operi

auxiliariam manum præberent. Neque illius Pontificis irrita vota cessere ; namque non mediocri pecuniæ vi ex universo catholico orbe collecta, atque ad hanc urbem missa, opus ipsum jam faustis coeptum ominibus, atque a fel. rec. Pio VIII. Prædecessore Nostro, brevissimo illius temporis spatio, quo Pontificatum gessit, continuatum, communi omnium gaudio prospere feliciterque progredi visum est. Ubi vero nullis quidem nostris promeritis, sed arcano divinæ providentiæ consilio in tanta temporum asperitate, tantisque rerum omnium perturbationibus ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, maximas inter gravissimasque curas, et sollicitudines, quibus distinemur, ac pene obruimur, nihil profecto Nobis potius, nihil gratius, nihilque optabilius esse poterat, quam omnia conari, ut nobilissimum Apostoli Pauli, quem summa colimus veneratione, templum celeriter perfectum esset, atque absolutum. Quamobrem singulari studio, et contentione omnia artis, et industriæ præsidia comparavimus, ac nihil inausum, nihilque intentatum reliquimus, ut magnificentissimum opus ad optatum exitum posset perduci. Et quamvis asperrimis hisce temporibus gravissimi sumptus Pontificium Nostrum Aerarium prope oppresserint, atque subsidia, quæ Christifidelium pietas ad Ostiensem Basilicam instaurandam ultro libenterque mittebat, sensim defecerint, tamen splendidissimi operis molitiones non solum minime intermissæ, verum etiam alacriori, et fidentiori conatu properatæ in eam spem inducunt fore, ut paucis annis insigne illud templum omni ex parte absolutum conspici possit. Hinc porro evenit, ut incredibili animi nostri lætitia, quod vix fieri posse arbitrabamur, transversum novi ædificii latus splendido jam artificio confectum, sacris cærimoniis lustrare, atque altare maximum sanctissimo Pauli sepulcro vel maxime venerandum, atque antiquissimo fornice furentibus flammis prodigiose erepto, et servato, et nunc exquisita diligentia instaurato nobilitatum, una cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus III. Nonas Octobris solemni ritu consecrare potuerimus. Quod quidem dum catholico orbi significamus, vehementer in Domino exultamus, atque lætamur. Etsi vero ad ceteras illius Basilicæ partes perficiendas singulari industria, ac diligenti studio magna quidem comparanda curavimus, tamen multa adhuc desunt, ut splendidissimum illud templum propediem possit absolvi. Et quoniam res eo devenit, ut omnis pecunia ex Pontificio Aerario sit depromenda, atque iccirco opus tanta celeritate properatum lente admodum progredi deberet, officii Nostri ratio postulat, ut aliorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, exempla æmulantes, omnium Christifidelium religionem, ac pietatem maxime excitemus, quo ipsi omnem opem,

et operam amplissimo illi, ac nobilissimo templo perficiendo præbere conentur. Atque in eam profecto spem erigimur fore, ut omnes alacri, libentique animo, ac summa cura, industria, contentione Nostris hisce votis obsecundare velint, cum de Apostoli Pauli, cujus gloria, qui nationum magister, fulgidissimum Christianæ legis lumen, intimus arcanorum Dei scrutator, et mortalibus licet indutus exuviis felix cæli hospes, Christi Ecclesiam sapientissimis suis, divinisque scriptis, clarissimisque rebus gestis provexit, illustravit, suoque sanguine irrigavit, coagmentavit. Nemo certe ignorat, neque ignorare potest, quot ille minas, poenas, æruminas, labores, cruciatus, dolores, pericula terra marique invictissimo animo pertulit, devoravit, contempsit, ut ubique terrarum cælestis doctrinæ prædicatione synagogas confunderet, paganam philosophiam perstringeret, idololatriam de solio deturbaret, omnesque gentes, populos, nationes errorum dispulsa caligine, ethnicaque superstitione ejurata ad Jesum Christum converteret, divinæ legis præceptionibus imbueret, erudiret, atque ad salutis semitam, cælique viam deduceret. Quis igitur hæc animo volvens, ac memoria repetens ad illius sepulcrum, immo trophæum, pro viribus decorandum non commoveatur? Quis ardentissimo non excitetur desiderio ad Pauli templum suis opibus nobilitandum, quem veluti magistrum, atque parentem se colere, et venerari debere sentit, atque cognoscit? Quis non vehementissimo impellatur amore ad Basilicam illam omni honore cultuque propria liberalitate exornandam, in qua omnes summa religione venerantur *pulverem Corporis illius*, ut Chrysostomi verbis utamur, *quæ Christo deerant adimplentis, stigmata illa gestantis, prædicationem ubique disseminantis, pulverem illius Corporis per quod ubique discurrebat, pulverem Corporis, per quod Christus loquebatur, et lux splendebat omni fulgure clarior, et vox exiliebat quovis tonitru dæmonibus terribilior, per quod Paulum didicimus, et Pauli Dominum* (1)? Atque utinam, Venerabiles Fratres, ea ubertas ingenii, eaque incredibilis, et pene divina dicendi, scribendique vis, et copia, qua mirandum in modum eloquentissimus excellit Chrysostomus, Nobis suppeteret, ut quemadmodum ipse de Paulo loquitur, ita et Nos loqui possemus, ac Fidelium mentes, animosque permovere ad eorum erga Apostolum pietatem omni ope declarandam. Vos itaque, Venerabiles Fratres, pro eximia vestra religione, atque egregia in Paulum, cujus doctrinis enutriti estis, observantia, quantum in Vobis est, populos fidei vestræ, et curæ commissos etiam

(1) S. Jo. Chrysost. Homil. XXXII. in Epist. ad Rom. Tom. IX. Oper. edit. Paris. Monach. S. Mauri. pag. 757.

atque etiam excitate, ut ipsi eo, quo par est, obsequio, Apostolum Paulum prosequentes, ad illius templum perficiendum subsidia mittere summopere glorientur. Eorum ante oculos ponite rem gratissimam se Deo facturos, si ad Ipsius domus decorem promovendum suas opes, facultatesque contulerint. Etenim quamvis Ipse cæli, terræque conditor, et dominus nulla nostra indigeat ope, tamen ita benignus, et misericors est, ut non modo nostram operam ad domum divino suo nomini ædificeandam exposcat, nostrosque conatus fortunet, verum etiam, tantum sibi honorem a Nobis deberi gaudeat, atque lætetur. Et quidem cum Moysi jussit, ex pretiosissimis rebus tabernaculum construi, altare erigi, vestes comparari, vasa confici, ut ab omnibus Filiis Israel pecunia daretur, præcepit ipse Deus, *susceptamque pecuniam*, inquit, *quæ collata est a Filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monimentum eorum coram Domino, et propitietur animabus eorum* (1). Hac tam insigni, et salutari Dei ipsius promissione quis non vehementer excitabitur ad pecuniæ vim pro sua facultate in opus Dei elargiendam, ut *sit monimentum coram Domino, et propitietur animæ suæ?* Magnam profecto coepit animo voluptatem sanctissimus ille Israelitici populi dux, cum præfectos operum audivit nuntiantes, *populum plus offerre quam necessarium esset*, atque coactus fuit prohibere populum adhuc dona ferentem, *cum jam oblata sufficerent, et superabundarent.* Atque ita elementissimus Deus nostris desideriis annuere velit, ut piis copiosisque Fidelium donis, atque oblationibus celeberrimum illud ædificium omni ex parte reparare, atque absolvere possimus. Quantam vero gratiam ipse Apostolus Paulus habebit iis, qui insignem Basilicam ejus honori dicatam, ac deplorabili infortunio dirutam, ab interitu vindicare, in pristinam majestatem restituere, ac splendidiore opere instaurare studuerint! Equidem Nos, Venerabiles Fratres, in Domino, qui dives est in misericordia, summopere confidimus, omnes cujusque ordinis, et conditionis Christifideles Dei gloria, Pauli Apostoli honore, vestrisque hortationibus vel maxime excitatos, ac tanti operis molitione magna ex parte jam producta alacriores effectos tantam auri, argentique vim esse collaturos, ut nobilisissimo illi ædificio conficiendo *oblata sufficere* posse videantur.

Vestrum autem erit, Venerabiles Fratres, oblatam a Fidelibus pecuniam colligere, eamque ad Nos mittere, atque omni studio, et conatu sanctissimum Pauli Apostoli sepulcrum summa universi catholici orbis veneratione, et Christianorum omnium concursu, fre-

(1) Exod. cap. 30. v. 16.

quentiaque semper celebratum ornare, ut Apostolico patrocinio magis magisque suffulti, commissas Vobis Christi oves luctuosissimis hisce temporibus facilius ab venenatis pascuis arcere, ad salutaria propellere, easque regere ac tueri possitis.

Hac igitur spe freti, omnia Vobis a Patre misericordiarum, et Deo totius consolationis fausta, et laeta adprecantes, Apostolicam Benedictionem Vobis, et gregi vestræ curæ commisso amantissime ex animo impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXI. Decemb. MDCCCXXXX. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

A. CARD. LAMBRUSCHINI